

Papsturkunden in Frankreich. Band 5: Touraine, Anjou, Maine und Bretagne., Nr. 52

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectae in Christo filiae Aramburgi abbatissae monasterii sanctae Mariae Nido Auis eiusque posteris regulariter substituendis in perpetuum. Desiderium, quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecta in domino filia Aremburgis abbatissa, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus et praefatum monasterium, cui Deo auctore praeesse dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem monasterium in praesentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma uobis uestrisque posteris in perpetuum et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda uocabulis: Boscum Herbody, Bonum Consilium, Lenda, Dougillare, Messangim, Lozeres, Villam Nouam, Calumpnie, Anguillare, ecclesiam sancti Vincentii, ecclesiam sancti Albini de Parente, ecclesiam de Cheudula. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbatissa uel tuarum qualibet succedentium nulla ibi qualibet surreptionis astutia seu uiolentia praeponatur, sed quam sorores communi consensu uel sororum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam prouiderint eligendam. Ad indicium autem huius a sede apostolica perceptae protectionis bisantium unum aureum nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praenominatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur uestris usibus omnimodis profutura, salua diocesani episcopi canonica iusticia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona huius nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire tentauerit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant et apud districtum iudicem praemia aeternae pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

R. Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

Ego Albericus Hostiensis episcopus ss.

Ego Stephanus Prenestinus episcopus ss.

Ego Guido sanctae Romanae ecclesiae indignus sacerdos ss.

Ego Stantius presb. card. tit. sanctae Sauinae ss.

Ego Gregorius presb. card. tit. sancti Calixti ss.

Ego Wido presb. card. tit. sancti Grisogoni ss.

Ego Rainerius presb. card. tit. sanctae Priscae ss.

Ego Vbaldus presb. card. tit. sanctorum Iohannis et Pauli ss.

Ego Gregorius diac. card. sanctorum Sergii et Bacchi ss.

Ego Guido diac. card. sanctorum Cosmae et Damiani ss.

Ego Hubaldus diac. card. sanctae Mariae in uia lata ss.

Ego Octauianus diac. card. sancti Nicolai in carcere Tulliano ss.

Ego Guido diac. card. sanctae Romanae ecclesiae ss.

Dat. Lateran, per manum Gerardi sanctae Romanae ecclesiae presbiteri cardinalis et
bibliothecarii quinto idus martii, indictione quinta, incarnationis dominicae anno Mo. Co.
XLo. Io, pontificatus uero domini Innocentii II papae anno XIII.